



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Consideratio Excitatoria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

IGNIS ET LIGNA
AD VICTIMAM HOLOCAUSTI
EUCCHARISTICI.

Sive

Considerationes & affectus
Pro Sacrificio Missæ à Festo SS. Trinitatis
usque ad Adventum.

Consideratio Excitatoria.

Currunt multi ad diversa loca, longaque itinera ac permolesta suscipiunt, ut Sanctorum sacra Lipsana & ossa intueantur, venerentur & exosculentur: & ecce tu præsens es hîc in Altari Deus meus, æternus, infinitus, immensus, Sanctus Sanctorum, Creator omnium & Dominus Angelorum: & quàm tepidè, quàm exiguâ fide, devotione & fervore præsertim lucri temporalis spe non affulgente, à nonnullis Sacerdotibus ad te curritur, cum tamen incredibili desiderio, inexplicabili fame & ardore sublimissima hæc mysteria frequentanda forent, in quibus non ossa alicujus Sancti, sed Sancti Sanctorum ossa, Corpus & Anima, cum sua
Divi-

Divinitate tremenda, suscipiatur, & manducantur.

Suspiria per diem.

Terribilis est locus iste, hinc domus Dei est, & porta cæli. Gen. 28.

Quantâ igitur puritate ac devotione adeundus Sacerdoti?

O Deus immense, æterne, infinite, cæli cælorum te capere non possunt quantum magis domus hæc? sed respice ad orationem servi tui, & ad preces ejus Domine Deus meus. 3. Reg. 8. 27.

Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Dan. 7. 10. Hos inter stabis ad aram, sed quo tremore & timore, amore & fervore?

Imaginatio Loci.

Sacrum celebrabis cogitans te versari in ipsa cælesti aula, coram infinita Dei Majestate, circumstantibus innumeris Angelorum & Sanctorum exercitibus Deum laudantibus, ac tantum ejus amorem & demissionem stupentibus. Aliàs sacrificabis veluti in monte Sinai cum Moyse, aut cum Abraham in monte Moria, aut in Horeb cum Elia.

CHRISTUS